



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Erasmi Roterodami Germani De Milite Christiano

Erasmus, Desiderius

Lypsi, 1516

VD16 E 2746

Canon Octauus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33324

cantem consequuntur, infamia, dispendium rei, egestas, contemptus
& odium bonorum, anxietas animi/inquietudo, & ille/multo mi-
serius/conscientie mentis cruciatus, quem etiam si nonnulli in praesens
sentiant non sentiunt, siue aetatis ebetudine obscurati, siue peccati
voluptate debriati, tamen sentient posterius, & omnino tanto
sentient infelicius, quanto saevius, Quare iuvenes potissimum
sunt admonendi, ut hanc esse peccati naturam, malint tot autho-
ribus credere, quam infelici experientia in semetipsis discere, neque
prius vitam vicis contaminent, quam plane quid sit vita cognos-
uerint. Si tibi vilis est Christus, cui tu tanti constas, saltem tua
ipsius causa temperato a turpibus. Et quamquam vehementer peri-
culosum est, hoc in statu, velut in trivio (quod autem) diutius com-
morari, tamen istis qui nondum queunt ad heroicam assurgere vir-
tutem, non paulo prestabilis est in politica virtute consistere,
quam in omni turpitudinis genere ire praecipites. Non hic est felici-
tatis meta, sed hinc propior ad felicitatem gradus. Interim tamen
semper orandus deus, ut nos ad meliora dignetur arripere.

¶ Canon Octavus.

Si crebrius ac gravius ingruet in te tentationum procella, ne pro-
tinus tibi incipias displicere, quasi ob id deo tuo vel curae/vel
cordi non sis, aut parum pius aut etiam minus perfectus. Imo potius
gratias age, quod ut futurum heredem erudit, ut charissimum filium
flagellat, ut amicum explorat. Maximum est argumentum hominem
a divina misericordia reiectum esse, quod nullis tentationibus in-
cessit. In mentem tibi veniat Paulus apostolus qui ad tertium caeli mys-
teria permeruit admitti, tamen ab angelo Satanae colaphizatus.
Succurrat amicus dei Iob, succurrat Hieronymus, Benedictus,
Franciscus, cumque his innumerabiles alij patres, maximis de vi-
cis sollicitati. Si cum tantis viris, si cum tam multis tibi commune
est quod pateris, quod est, quare animum deicias? Magis enitere
ut cum illis vincas. Non destituet te deus, & faciet etiam cum tenta-
tione proventum, ut possis sustinere.

¶ Canon Nonus.

Quod callidi solent imperatores facere, ut in tranquillis
etiam rebus/tamen excubias agant, itidem tu quoque semper

Prosper) etiam
rebus cavendum.

Tentatio frequens
qualiter sustinenda sit.

Heb 12

2 co. 12

1 co. 10